TRADITIONAL LATIN MASS

**MASS PROPER: OCTOBER 20, ST. JOHN CANTIUS, CONFESSOR**

MASS *Miserátio* (white)

| | |
|---|---|
| **INTROIT Ecclesiasticus 18: 12-13**<br>Miserátio hóminis circa próximum: misericórdia autem Dei super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum. (Ps. 1: 1) Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, et in cáthedra pestiléntiæ non sedit. Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto, sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sǽcula sæculórum. Amen. Miserátio hóminis circa próximum: misericórdia autem Dei super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum. | The compassion of man is toward his neighbor; but the mercy of God is upon all flesh. He hath mercy, and teacheth and correcteth, as a shepherd doth his flock. (Ps. 1: 1) Blessed is the man who hath not walked in the counsel of the ungodly nor stood in the way of sinners, nor sat in the chair of pestilence. Glory be to the Father, and to the Son, and to the Holy Spirit, as it was in the beginning, is now, and ever shall be, world without end. Amen. The compassion of man is toward his neighbor; but the mercy of God is upon all flesh. He hath mercy, and teacheth and correcteth, as a shepherd doth his flock. |
| **COLLECT**<br>Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, sancti Joánnis Confessóris exémplo in scientia Sanctórum proficiéntes atque áliis misericórdiam exhibéntes; ejus méritis, indulgéntiam apud te consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. | Grant us, we beseech Thee, O almighty God, that, after the example of St. John, Thy confessor, making progress in the science of the saints and showing mercy to others, we may through his merits obtain forgiveness before Thee. Through our Lord Jesus Christ, Thy Son, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever. |
| **EPISTLE James 2: 12-17**<br>Sic loquímini, et sic fácite sicut per legem libertátis incipiéntes judicári. Judícium enim sine misericórdia illi, qui non fecit misericórdiam: superexáltat autem misericórdia judícium. Quid próderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habére, ópera autem non hábeat? Numquid poterit fides salváre eum? Si autem frater et soror nudi sint, et indígeant victu quotidiáno, dicat autem áliquis ex | So speak ye, and so do, as being to be judged by the law of liberty. For judgment without mercy to him that hath not done mercy: and mercy exalteth itself above judgment. What shall it profit, my brethren, if a man say he have faith, but hath not works? Shall faith be able to save him? And if a brother or sister be naked, and want daily food, and one of you say to them, Go in peace, be you warmed |

vobis illis: Ite in pace, calefacímini et saturámini: non dedéritis autem eis, quæ necessária sunt córpori, quid próderit? Sic et fides, si non hábeat ópera, mórtua est in semetípsa.

and filled, and yet give them not those things that are necessary for the body; what shall it profit? So faith also, if it have not works, is dead in itself.

**GRADUAL Psalms 106: 8-9**

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: et mirabília ejus fíliis hóminum. Quia satiávit ánimam inánem: et ánimam esuriéntem satiavit bonis.

Let the mercies of the Lord give glory to Him: and His wonderful works to the children of men. For He hath satisfied the empty soul, and hath filled the hungry soul with good things.

**LESSER ALLELUIA**
**Proverbs 31: 20**

Allelúja, allelúja. Manum suam apéruit ínopi: et palmas suas exténdit ad páuperem. Allelúja.

Alleluia, alleluia. He hath opened His hand to the needy, and stretched out His hands to the poor. Alleluia.

**GOSPEL Luke 12: 35-40**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen, dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam, si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis. Fílius hóminis véniet.

At that time, Jesus said to His disciples, Let your loins be girt, and lamps burning in your hands, and you yourselves like to men, who wait for their lord, when he shall return from the wedding; that when he cometh and knocketh, they may open to him immediately. Blessed are those servants, whom the Lord when He cometh, shall find watching. Amen, I say to you, that He will gird Himself, and make them sit down to meat, and passing will minister unto them. And if He shall come in the second watch, or come in the third watch, and find them so, blessed are those servants. But this know ye, that if the householder did know at what hour the thief would come, he would surely watch, and would not suffer his house to be broken open. Be ye then also ready; for at what hour you think not, the Son of man will come.

**OFFERTORY Job 29: 14-16**

Justítia indútus sum, et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, judício meo. Oculus fui cæco et pes claudo: pater eram páuperum.

I was clad with justice and I clothed myself with my judgment, as with a robe and a diadem; I was an eye to the blind, and a foot to the lame; I was the father of the poor.

**SECRET**

Has, quǽsumus, Dómine, hóstias sancti Joánnis Confessóris tui méritis benígnus assúme: et præsta; ut, te super ómnia et omnes propter te diligéntes, corde tibi et ópere placeámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Grant, we beseech Thee, almighty Lord, that by the example of Thy holy confessor John, we may love Thee above all things and all things for Thy sake, we may in heart and in deed be pleasing to Thee. Through our Lord Jesus Christ, Thy Son, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever.

**COMMUNION Luke 6: 38**

Date, et dábitur vobis: mensúram bonam et confértam et coagitátam et supereffluéntem dabunt in sinum vestrum.

Give and it shall be given to you: good measure, and pressed down, and shaken together, and running over, shall they give into your bosom.

**POSTCOMMUNION**

Pretiósi Córporis et Sánguinis tui, Dómine, pasti delíciis, tuam súpplices deprecámur clementiam: ut, sancti Joánnis Confessóris tui méritis et exémplis, ejúsdem caritátis imitatóres effécti, consórtes simuset glóriæ: Qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Regaled with the delights , of Thy precious body and blood, we humbly pray Thy clemency, O Lord, that by the merits and example of St. John, Thy confessor, we may be made imitators of his charity and sharers of his glory. Who lives and reigns with God the Father in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever.